


Narodna in univerzitetna knjižnica  
v Ljubljani

113388

MANUALE  
AGENDORUM IN  
SYNODO DIOECESANA  
LAVANTINA

1911.





*deobt*



Basilica Marburgensis.  
Salve Regina, Mater misericordiae!

**MANUALE  
AGENDORUM IN  
SYNODO DIOCESANA  
LAVANTINA,**

A DIE 28. MENSIS AUGUSTI USQUE AD DIEM  
1. MENSIS SEPTEMBRIS ANNI 1911 TENENDA.

EDENDUM CURAVIT  
CELSISSIMUS ET EXCELLENTISSIMUS AC REVERENDISSIMUS  
DOMINUS  
**MICHAEL,**  
PRINCEPS-EPISCOPUS LAVANTINORUM.



MARBURGI, 1911.

SUMPTIBUS PR.-EP. ORDINARIATUS LAVANTINI.  
TYPIS TYPOGRAPHIAE S. CYRILLI.

113388

113388



F2C 2018  
/1952



**Regula et norma  
agendorum in sexta Synodo dioecesana  
Lavantina.**

Praenotiones.

**S**olemnitates rituales, a iure praescriptae, in congreganda ac tenenda Synodo dioecesana servandae sunt et absque indulto petito et concesso omitti nequeunt, ita sacra Congregatione Concilii etiam nuperime et quidem die 29. Iulii 1905 declarante.<sup>1</sup>

Norma ad celebrandam Synodum episcopalem fusius descripta reperitur in libro de Synodo dioecesana anno Domini 1896 habita, in opere de Synodo anno iubilaeo 1900 facta, in volumine de Synodo, anno salutis 1903 coadunata et in codice de Synodo, anno 1906 concita. Ideo regula et norma gerendorum in Synodo hoc anno tenenda parcius delineantur. Exemplar huius

<sup>1</sup> Rescriptum s. Congr. Concil. ad preces Episcopi Mariannensis in Brasilia de die 29. Iulii 1905. (Acta Sanctae Sedis. Romae, 1905. Vol. XXXVIII. fasc. 5. pag. 276 sq).

*manualis* extraditur initio Synodi cuiuslibet Synoditarum. Actiones Synodi dioecesanae, cuius facienda *norma* iuxta rubricas *Caeremonialis Episcoporum* (lib. I. cap. 31) nec non *Pontificalis romani* (part. III. ordo ad Synodum) hisce obiter explicatur, auxilio divino expedientur in *Congregationibus et Sessionibus omnium* ad Synodum convenientium.

*Congregationes* habebuntur:

- a) *particulares* sive Consilia Consultorum, praesentibus scilicet illis Synoditis, qui pro singulis Consiliis Consultores constituentur;
- b) *generales*, quibus cuncti Synodi *Sodales et Officiales* interesse tenentur.

*Sessiones publicae* illi nominantur omnium Synoditarum *sollemnes* consessus, in quibus ritu sacro per *Caeremoniale et Pontificale* praescripto, quae ad Synodum pertinent, peraguntur, et quae in Synodo decreta sunt, sollemniter promulgantur.

Expedientur vero actiones synodales tribus *Sessionibus publicis*, quibus quinque *Congregationes generales* praemittentur, pridie cuiuslibet Sessionis publicae habendae. *Congregationes particulares* seu consultationes *quatuor Consiliorum* locum habebunt tempore libero.

*Sessiones publicae* et *Congregationes generales* celebrabuntur in sanctuario s. Aloysii. *Congregationes particulares* habebuntur partim in seminario clericorum, partim in convictu epheborum vel vero aliis in locis congruentibus.



## De prima Congregatione generali.

**A**d rite constituendas actiones *primaee Sessionis publicae* pridie *hora quarta pomeridiana* habebitur *prima Congregatio generalis*.

1. Omnes ad Synodum vocati in eaque comparentes : de saeculari Clero veste talari et chorali cum bireto, de regulari vero habitu sui ordinis et superpelliceis induiti et cum decenti tonsura congregantur in ecclesia cathedrali s. Ioannis Baptiste. Exinde procedent cruce ecclesiae cathedralis praelata in *Episcopium*, unde erit sollemnissimae supplicatio seu processio in synodale templum s. Aloysii, campanis ecclesiae cathedralis indesinenter pulsandis.

2. In processione servatur ordo, ut sequitur :

Praecedet inter duos clericos ceroferarios *crux* ecclesiae cathedralis, gestata ab iuniore e Clero. Hanc sequetur *Clerus* iuxta dignitatem et ordinationis prioritatem.

Praeibunt *sacerdotes* (regulares et saeculares), *qui non sunt beneficiati* cum cura animarum. Subsequentur *administratores* et *superiores* ordinum ; dein *parochi* et *decani*, stolis rubri coloris ornati.

Succendent *doctores* philosophiae christianaee, *doctores* romani in iure canonico, dein sacrae Theologiae *doctores*, porro studii theologici dioecesani *professores*, instituti puerorum *rectores* et seminarii clericorum *directores*.

Porro *Archidiaconus* Konjicensis, *Praepositus* Petoviensis et *Abbas* saecularis Celeiensis.

Perillistris *Abbas* Trappistarum (vel eius Procurator) cum suo comite.

*Clerus* ecclesiae cathedralis. *Magistri caeremoniarum*, acolythi et ministri pro assistentia.

*Capitulum cathedralae* in corpore procedet.

Reverendissimus sacrorum *Antistes* cum suo comitatu.

3. Bini gravi et lento decoroque passu procedent cum reverentia et religiosa devotione, ut externo iam exemplo populus ad pietatem excitetur.
4. Pie ac religiose sacrae supplicationi interessentibus et infra allegatos *hymnos* et *psalmos* alternatim recitantibus 50 dies de vera indulgentia in consueta Ecclesiae forma vigore indulti de die 28. Augusti 1903 conceduntur.

## Hymni.

In adorationem sanctissimae Trinitatis.

Jam sol recedit igneus :  
 Tu lux perennis Unitas,  
 Nostris, beata Trinitas,  
 Infunde lumen cordibus.

Te mane laudum carmine,  
 Te deprecamur vespere ;

Digneris, ut te supplices  
Laudemus inter coelites.

Patri, simulque Filio,  
Tibique Sancte Spiritus,  
Sicut fuit, sit iugiter  
Saeclum per omne gloria. Amen.

**In gloriam beatae Mariae Virginis.**

O gloriosa virginum,  
Sublimis inter sidera,  
Qui te creavit, parvulum  
Lactente nutris ubere.

Quod Heva tristis abstulit,  
Tu reddis almo germine :  
Intrent ut astra flebiles,  
Coeli recludis cardines.

Tu regis alti ianua,  
Et aula lucis fulgida :  
Vitam datam per Virginem  
Gentes redemptae plaudite.

Iesu, tibi sit gloria,  
Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre et almo Spiritu  
In sempiterna saecula. Amen.

**In honorem sanctorum Angelorum.**

Christe, sanctorum decus Angelorum,  
 Gentis humanae sator et redemptor,  
 Coelitum nobis tribuas beatas  
 Scandere sedes.

Angelus pacis Michael in aedes  
 Coelitus nostras veniat, serenae  
 Auctor ut pacis lacrimosa in orcum  
 Bella relegat.

Angelus fortis Gabriel, ut hostes  
 Pellat antiquos, et amica coelo,  
 Quae triumphator statuit per orbem,  
 Templa revisat.

Angelus nostrae medicus salutis,  
 Adsit e coelo Raphael, ut omnes  
 Sanet aegrotos, dubiosque vitae  
 Dirigat actus.

Virgo dux pacis, Genitrixque lucis,  
 Et sacer nobis chorus Angelorum  
 Semper assistat, simul et micantis  
 Regia coeli.

Praestet hoc nobis Deitas beata  
 Patris, ac Nati, pariterque Sancti

Spiritus, cuius resonat per omnem  
Gloria mundum. Amen.

In laudes Omnis Sanctorum.

Salutis aeternae dator,  
Jesu, redemptis subveni:  
Virgo parens clementiae  
Dona salutem servulis.

Vos Angelorum millia,  
Patrumque coetus, agmina  
Canora Vatum: vos reis  
Precamini indulgentiam.

Baptista Christi praevius,  
Summique coeli Claviger,  
Cum ceteris Apostolis  
Nexus resolvant criminum.

Cohors triumphans Martyrum,  
Almus Sacerdotum chorus,  
Et virginalis castitas  
Nostros reatus abluant.

Quicumque in alta siderum  
Regnatis aula principes,  
Favete votis supplicum,  
Qui dona coeli flagitant.

Virtus, honor, laus, gloria  
Deo Patri cum Filio,  
Sancto simul Paraclito,  
In saeculorum saecula. Amen.

## Psalmi.

### Psalmus 22.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: \*  
in loco pascuae ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: \*  
animam meam convertit.

Deduxit me super semitas iustitiae, \*  
propter nomen suum.

Nam, et si ambulavero in medio umbrae  
mortis, non timebo mala: \* quoniam tu me-  
cum es.

Virga tua et baculus tuus: \* ipsa me  
consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, \* ad-  
versus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: \* et  
calix meus inebrians quam praeclarus est!

Et misericordia tua subsequetur me \*  
omnibus diebus vitae meae:

Et ut inhabitem in domo Domini \* in  
longitudinem dierum.

Gloria Patri . . .

Psalmus 26.

Dominus illuminatio mea, et salus mea,  
\* quem timebo?

Dominus protector vitae meae, \* a quo  
trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes, \* ut  
edant carnes meas:

Qui tribulant me inimici mei, \* ipsi in-  
firmati sunt, et ceciderunt.

Si consistant adversum me castra, \* non  
timebit cor meum.

Si exsurgat adversum me praelium, \* in  
hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram, \*  
ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus  
vitae meae :

Ut videam voluptatem Domini \* et vi-  
sitem templum eius.

Quoniam abscondit me in tabernaculo  
suo : \* in die malorum protexit me in ab-  
scondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me: \* et nunc exalta-  
vit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis: \* cantabo, et psalmum dicam Domino.

Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: \* miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: \* faciem tuam Domine requiram.

Ne avertas faciem tuam a me: \* ne declines in ira a servo tuo.

Adiutor meus esto: \* ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, et mater mea dereliquerunt me: \* Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi Domine in via tua: \* et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: \* quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini \* in terra viventium.

Exspecta Dominum, viriliter age: \* et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Gloria Patri . . .

**Psalmus 66.**

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: \* illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: \* in omnibus Gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: \* confiteantur tibi populi omnes.

Laetentur et exsultent Gentes: \* quoniam iudicas populos in aequitate, et Gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: \* terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: \* et metuant eum omnes fines terrae.

Gloria Patri . . .

**Psalmus 94.**

Venite, exsultemus Domino: \* iubilemus Deo salutari nostro.

Praeoccupemus faciem eius in confessione: \* et in psalmis iubilemus ei.

Quoniam Deus magnus Dominus: \* et Rex magnus super omnes deos.

Quia in manu eius sunt omnes fines terrae: \* et altitudines montium ipsius sunt.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud: \* et siccum manus eius formaverunt.

Venite, adoremus et procidamus: \* et ploremus ante Dominum, qui fecit nos.

Quia ipse est Dominus Deus noster: \* et nos populus pascuae eius, et oves manus eius.

Hodie si vocem eius audieritis: \* nolite obdurare corda vestra.

Sicut in irritatione secundum diem temptationis in deserto: \* ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me et viderunt opera mea.

Quadraginta annis offensus fui generationi illi, \* et dixi: Semper hi errant corde.

Et isti non cognoverunt vias meas, ut iuravi in ira mea: \* si introibunt in requiem meam.

Gloria Patri . . .

**Psalmus 120.**

Levavi oculos meos in montes, \* unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino, \* qui fecit coelum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum: \* neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit neque dormiet, \*  
qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio  
tua, \* super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: \* neque luna  
per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: \*  
custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, et  
exitum tuum: \* ex hoc nunc et usque in  
saeculum.

Gloria Patri . . .

Psalmus 132.

Ecce quam bonum et quam iucundum \*  
habitare fratres in unum!

Sicut unguentum in capite, \* quod de-  
scendit in barbam, barbam Aaron:

Quod descendit in oram vestimenti eius :  
\* sicut ros Hermon, qui descendit in mon-  
tem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedic-  
tionem \* et vitam usque in saeculum.

Gloria Patri . . .

Sub finem dicitur Antiphona:

Salve Regina, mater misericordiae, vita,  
dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus,

exsules filii Hevae. Ad te suspiramus, gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Iesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

¶. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriose Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum efficeretur, Spiritu Sancto cooperante, praeparasti: da, ut cuius commemoratione laetamur, eius pia intercessione ab instantibus malis et a morte perpetua liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. R. Amen.

5. In ingressu synodalis ecclesiae s. Aloysii omnes passum sistent, et reverendissimus Praesul *accepto aspergillo* de more asperget aqua lustrali et medium inter Synoditas, comitatus a Capitulo cathedrali, accedet ad altare maius.
6. Dum Ipse, peracta sanctissimi Sacramenti adoratione, assumit in throno paramenta sacra, idem facientibus, qui Ei assident, in sacristia, Synoditae

quiete occupabunt sedilia, quae in ecclesiae nave a dextris et a sinistris parata sunt, prout eis loca Magister caeremoniarum assignabit. Haec loca, durante Synodo, singuli tenebunt; attamen hic ordo, toto Synodi tempore stricte observandus, nullum honori vel dignitati fert praeiudicium.

7. In *sessionibus publicis* omnes Synodales superpelliceis et biretis induiti erunt. In *congregacionibus* saeculares Synoditae veste talari cum bireto, regulares habitu sui ordinis, *Officiales* autem superpelliceo seu cotta super vestem talarem vestiti comparebunt.

8. Ad Missas synodales et alias sacras functiones, quae peragentur, assistent et inservient Synodales ex ordine, qui a Magistro caeremoniarum, annuentes reverendissimo Ordinario, designabuntur.

Chorus Capituli cathedralis pro tempore Synodi, exceptis eis, quae in communi cum Synoditis fient, suspenditur.

9. Omnibus paratis, Antistes accipit paramenta sacra et coram exposito augustissimo Sacramento intonat Sequentiam: *Veni, Sancte Spiritus*, qua a choro absoluta, cantat relativum *versiculum* et respectivam *collectam* de Spiritu Sancto.<sup>1</sup>

10. Data benedictione et Sanctissimo reposito, Episcopus deponit sacras vestes et reassumit mozzettam. Sequitur *sacra dictio* salutatoria et introductoryia.

Post sermonem auguralem legitur de pulpito amovibili *decretum de Officialibus Synodi*.

---

<sup>1</sup> Pag. 35.

Quo paelecto Synodi *Promotores, Secretarius, Notarius* et *Procuratores* Cleri loca designata occupabunt, officio ac munere sibi commisso functuri.

11. Actutum accedens ad sedem Episcopi *Promotor<sup>1</sup>* instabit, ut *actiones synodales* indicantur et praeparentur; *Secretarius* vero, accepto Praesulis mandato, leget *summarium* istarum actionum.
12. Sequitur *Promotoris* instantia de constituendis *quatuor Consiliis* pro deliberanda et examinanda Synodi materia. Exposita per reverendissimum Synodi Praesidem methodo, qua consultationes in *Congregationibus particularibus* expedienda erunt, paelegentur nomina eorum, quos sacrorum Antistes *quatuor Consiliorum* Praesides, Consultores, Referentes et Notarios elegerit: quibus confestim extraditur materia deliberanda.
13. Sequitur *Promotoris* instantia de constituendis et respective approbandis in Synodo *Examinatoribus Cleri*. Paelectis per *Secretarium* nominibus eorum, quos reverendissimus Ordinarius constituit *Examinatores ordinandorum*, propoununtur per celsissimum Principem-Episcopum *Examinatores promovendorum ad beneficia curata*, in Synodo approbandi. Facto dein per *diribitores scrutinio*, publicantur data occasione nomina eorum, quos Synodus approbavit.
14. Homagium a Synoditis per telegraphum significandum Sanctissimo Patri Pio X., Eminentissimo

---

<sup>1</sup> Si fuerint duo Promotores, in formula dicatur: Nos N. et N. huius Synodi Promotores . .

Domino Ioanni Bapt. Cardinali Katschthaler, Principi-Archiepiscopo et Metropolitae Salisburgensi, itemque Suae caesareae ac regiae Apostolicae Maiestati, augustissimo Imperatori Francisco Iosepho I.

15. Indicta dein ad Promotoris instantiam *prima Sessione publica*, finis imponitur Congregationi primae *gratiarum actione*.<sup>1</sup> Qua peracta Episcopus discedit, comitante Ipsum Capitulo usque ad valvas ecclesiae.

Quo facto Congregatio dimittitur. In discessu post actiones synodales, ut servetur ordo et vitetur confusio, digniores priori loco abscedant.

16. Eodem vespere ab hora sexta per duos quadrantes campanae ecclesiae cathedralis s. Ioannis Baptistae, ecclesiae parochialis beatae Virginis Mariae, matris misericordiae, ecclesiae filialis s. Barbarae, ecclesiae synodalnis s. Aloysii, ecclesiae beatae Virginis Mariae apud scholares sorores tertii ordinis s. Francisci Assisinensis, porro ecclesiae parochialis s. Magdalena et ecclesiae s. Ioseph apud sacerdotes missionarios s. Vincentii a Paulo sollemni ritu pulsentur.

Affulsit enim dies optatissima sextae Synodi dioecesanae!



### De prima Sessione sollemni.

Hora *septima matutina* omnes Synodi *Officiales* et *Sodales* congregiuntur in domo sacra s. Aloysii,

---

<sup>1</sup> Pag. 37.

occupant sua subsellia et exspectant adventum celsissimi ac reverendissimi Principis-Episcopi.

Eum cappa indutum et curru advectum excipit Capitulum cathedrale ad atrium ecclesiae Ipsumque ad altare maius ducit.

Mox quum illustrissimus Antistes sedem suam occupaverit, persolvitur *Tertia*. Qua finita et rite paratis omnibus, quae ad Sacrum requiruntur, procedit Episcopus ad *altare* et celebrat *Missam de Spiritu Sancto*. (Gloria, unica Oratio, Credo, Praefatio de Spiritu Sancto et ultimum Evangelium s. Ioannis). Incensatur Clerus.

Finita Missa Pontifex depositis paramentis, Missae propriis, usque ad stolam exclusive accipit *pluviale* rubrum cum mitra pretiosa, accedit ad altare et genuflexus sine mitra incipit Antiphonam: *Exaudi*, deinde omnes surgunt er persolvunt *preces*, quas Pontificale romanum *pro prima Sessione* praecipit.<sup>1</sup>

Recedentibus Acolythis, deponit Episcopus paramenta, induit vestes pro Synodo et exorditur *Sessionem sollemnem*, si tempus permisit, *sermone synodali*.

Quo audito, *Promotor* more in Synodis usitato instabit pro publicatione *Decretorum*, formam Synodi respicientium, videlicet *de aperienda Synodo, de emittenda professione fidei et de iureiurando contra modernistas, de Ministris synodalibus, de servando secreto et de non discedendo*.

Singula decreta *Secretarius*, accepta de manu Episcopi, praelegeat de pulpito amovibili.

---

<sup>1</sup> Pag. 38—48.

Ad lectionem *Decreti de emissenda fidei professione et de iuramento contra modernismum* surgit Episcopus et mitra deposita, conversus *ad altare* genuflectit et manu dextera libro sanctorum Evangeliorum admota, alta voce *professionem fidei* emittit, id est recitat, caeteris Synodalibus una cum Eo recitantibus, formulam fidei Tridentino-Vaticana et formulam iurisurandi in Motu proprio „*Sacrorum Antistitum*“ die 1. Septembbris 1910 praescriptam. Primus actus est actus summae religionis et alter est sollemnis et publicus actus divini cultus.



#### **Forma professionis fidei Tridentino-Vaticana.**

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantiale Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos: cuius

regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exsperco resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam umquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Uncionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum sollemni administratione recipio et admitto; omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et de-

functis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo, Purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper virginis nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgientiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistrum agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Caetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis Conciliis ac praecipue a sacrosanta Tridentina Synodo et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita et declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integrum et inviolatam, usque ad extremum vitae spiritum, constantissime Deo adiuvante retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum: ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia!

**Formula iurisiurandi**  
in **Motu proprio »Sacrorum Antistitum« praescripta.**

Ego N. firmiter amplector ac recipio omnia et singula, quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita, quae huius temporis erroribus directo adversantur. Ac primum quidem Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea, quae facta sunt, hoc est per *visibilia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor. Secundo: Externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortae christianaee Religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam huius temporis, intelligentiae esse maxime accomodata. Tertio: Firma pariter fide credo, Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistrum, per ipsum verum atque historicum Christum, quum apud nos degeret, proxime ac directo

institutam, eandemque super Petrum, apostolicae hierarchiae principem eiusque in aevum successores aedificatam. Quarto: Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio; ideoque prorsus reiicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia: pariterque damno errorem omnem, quo, divino deposito, Christi Sponsae tradito ab Eâque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanae conscientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefinito progressu perficiendae. Quinto: Certissime teneo ac sincere profiteor, Fidem non esse coecum sensum religionis e latebris *subconscientiae* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

Me etiam, qua par est, reverentia, subiicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis litteris »*Ascendi*«<sup>1</sup> et in Decreto »*Lamentabili*«<sup>2</sup> continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant. — Item reprobo errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus

<sup>1</sup> 8. Septembris 1907. — 3. Iulii 1907.

christianae religionis originibus componi non posse. — Damno quoque ac reiicio eorum sententiam, qui dicunt, christianum hominem eruditorem induere personam duplarem, aliam credentis, aliam historici, quasi licet historico ea retinere, quae credentis fidei contradicant, aut praemissas adstruere, ex quibus consequatur dogma esse aut falsa aut dubia, modo haec directo non denegentur. — Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia Fidei, et Apostolicae Sedis normis posthabitatis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur. — Sententiam praeterea illorum reiicio, qui tenent, doctori disciplinae historicae theologicae tradendae, aut iis de rebus sribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari. — In universum denique me alienissimum ab errore profiteor, quo *modernistae* tenent in sacra traditione nihil inesse divini; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiae factis aequandum; hominum nempe sua industria, sollertia, ingenio scholam a Christo eiusque apostolis inchoatam per subsequentes aetates continuantium. Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad

extremum vitae spiritum retinebo, de charismate *veritatis certo*, quod est, fuit eritque semper in *episcopatus ab Apostolis successione*<sup>1</sup>; non ut id teneatur, quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut *nunquam aliter credatur, nunquam aliter intelligatur* absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos praedicata<sup>2</sup>.

Haec omnia spondeo, me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia!

Facta recitatione, Antistes in genua provolutus et dextra sacrosanctis Evangelii imposita *iuramentum* emittit in hanc formam: *Ego Michael, Princeps-Episcopus Lavantinorum, promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo et iuro iuxta professionis fidei formulam a Pio IV. et Pio IX. praescriptam, singula singulis referendo.* — Item spondeo, me omnia fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo, quae in formula iurisiurandi, in Motu proprio »Sacrorum Antistitum« die 1. Septembris 1910 praescripta, proponuntur. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia!

Postea sedens accipit mitram et Evangeliarium sustinens apertum super genua excipit iuramentum omnium in Synodo congregatorum, qui *trini* ac *trini* mox

---

<sup>1</sup> Iren. 4, c. 26. — <sup>2</sup> Praescr. c. 28.

accedunt et flexis genibus tres digitos manus dexteræ, in sollemni iureiurando elevari solitos, nudos ponunt super initium *sancti Evangelii secundum Ioannem* (in tertia Missa de *Nativitate Domini*) atque formulam iuramenti finalem pronuntiant: *Ego idem N. N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia!* Quibus dictis, osculantur textum Evangelii,<sup>1</sup> et sessum redeunt.

Ad instantiam *Promotoris*, annuente Praestite, promulgatur per *Secretarium* decretum de approbatis in Synodo *Examinatoribus promovendorum ad beneficia curata*, qui, si praesentes fuerint, protinus accedunt ad Ordinarium, sollemni iuramento devinciendi.

Promulgatis dein, quae reverendissimus Synodi Praeses in hac prima Sessione sollemni promulganda decrevit, instabit *Promotor*, ut proxima *Sessio publica* indigitetur atque de peractis in Sessione praesenti et de aliis actionibus synodalibus conficiatur *memosynon authenticum*.

Quibus absolutis, Episcopus *sollemnem benedictionem pastoralem* impertitur. Qua data, deponit vestes, et ordinato per medium navim ecclesiae recessu, Clerum in ianua ecclesiae dimittit et rheda in Aedes episcopales reddit.



### De Congregationibus particularibus.

Actiones *Congregationum particularium* expediuntur per quatuor *Consilia*, quibus singulis reve-

<sup>1</sup> Cfr. *Collectio rituum dioecesis Lavantinae*. Marburgi, 1896. Pag. 437—441.

rendissimus Praesul peculiarem materiae synodalis partem committet deliberandam.

Sessiones istorum *Consiliorum* habebuntur tempore libero et opportuno. Pro quolibet *Consilio* parabitur in aedibus seminarii clericorum et viridarii adolescentium peculiare *conclave*, in quo eiusdem *Consilii consultores* hora accurate determinanda ad faciendam actionem synodalem convenient.

Actioni praemittuntur *preces*<sup>1</sup>, per Consultores dicendae. Designati *Praesidis* erit, consultationes optimo quo poterit modo dirigere et curare, ut vota, desideria, mutationes aliaque huius generis scriptis mandentur, seu ut de actione Sessionis per *Notarium* conficiatur *Protocollum*, finita congregazione praeclegendum et reverendissimo Episcopo, cum *eodem die ad faciendam Congregationem generalem* venerit, proponendum.

Ad *Praesides* horum *Consiliorum* pertinebit quoque, ut *Procuratoribus Cleri* in scriptis tribuant *consilia* singulorum Consultorum, quatenus isti petierint, ut de his suis consiliis et sententiis in Congregationibus generalibus, annuente Ordinario, publice disseratur.

In fine Sessionum persolvenda est *gratiarum actio*.<sup>2</sup>



### De secunda Congregatione generali.

Quo die prima Sessio sollemnis celebrata est, post meridiem *hora quarta* instituetur *secunda Synodi Congregatio generalis*.

---

<sup>1</sup> Pag. 37. num. 1. — <sup>2</sup> Pag. 37. num. 2.

Praefixa hora convenient Synodales in fano s. Aloysii. Antistite, more solito adveniente, persolventur *Vesperae cum Completorio*. Quibus finitis pro consuetudine Synodorum incipit *actio synodalis* precibus, ante actionem synodalem persolvendis.<sup>1</sup>

Habebitur *prima meditatio*. Eius fine facto, Episcopus, prout opportunum duxerit, dilucidabit singulas propositae materiae synodalis partes.

Quibus actis instabit *Promotor*, ut vota et petita Cleri per illius *Procuratores* dilucidentur.

Quibus auditis et pro posse exauditis, reverendissimus Praelatus instruit Clerum de *Iudicibus in partibus*, et si Ei placuerit, Clero renuntiat, quos huic obeundo muneri devinciendo statuerit.

Pari modo, si Ei in Domino consultum videbitur, eligit ac nominat viros, quos *Iudicij sui dioecesani* pro causis criminalibus et civilibus nec non *Tribunalis ecclesiastici* pro causis matrimonialibus constituerit *Consiliarios*.

Quibus peractis ad *Promotoris* instantiam et Ordinarii concessionem paelegetur per *Secretarium summarium proximae Sessionis sollemnis*, qua indicta, *preces pro gratiarum actione* absolvuntur.<sup>2</sup>

Hisce congregatione generali rite conclusa, Episcopus comitate Capitulo cathedrali, uti de more, discedit.




---

<sup>1</sup> Pag. 37. num. 1. — <sup>2</sup> Pag. 37. num. 2.

## De altera Sessione sollempni.

Die sequenti (feria IV.) celebrabitur *secunda sollemnis Sessio publica.*

Hora septima convenient omnes Synodi *Sodales et Officiales* in ecclesia conciliari ad s. Aloysium, ibidemque paratis parandis exspectant Pastorem dioecesos. Qui quum post horam septimam *Cappa* indutus venerit modo, quo dictum est pro prima Sessione sollempni, Clero in locis designatis disposito, persolvitur *Tertia.*

Sequitur Missa *Requiem* pro defunctis ab ultima Synodo, verum etiam pro omnibus mortuis *Episcopis et sacerdotibus* dioecesis Lavantine, per Dignitarium e Capitulo cathedralis ecclesiae celebranda (cum unica Collecta: *Deus, qui inter apostolicos*, Epistola et Evangelio, quae in Missali habentur in prima Missa pro defunctis).

Oblato Missae sacrificio, induitur illustrissimus Episcopus *paramentis nigris* pro facienda *Absolutione* ad tumulum.

Qua peracta, depositis nigris, assumit Episcopus paramenta Synodi, et inchoata ab Eo Antiphona *Propitius esto*,<sup>1</sup> fiunt ex ordine ea, quae pro *secunda die* in Pontificali romano adnotantur. Hisce precibus initium sumit *secunda sollemnis Sessio publica.*

Si tempus permiserit, praedicabitur *oratio synodalnis*, quam sequetur *lectio* constitutionum, quas Ordinarius promulgandas decrevit.

---

<sup>1</sup> Pag. 47—52.

Si sacrorum Antistiti placuerit, advocantur constituti *Iudices in partibus* et *Iudicii ac Tribunalis dioecesani Consiliarii* ad praestandum iuramentum in manus Episcopi *per tactum libri Evangeliorum*.

Indicta Sessione sollempni proxima, celsissimus Princeps-Episcopus *benedictionem pontificalem* elargitur. Dein depositis vestibus factoque recessu Clerum in ostio sacelli synodalis dimittit, et in Palatum suum curru vehitur.



### De tertia, quarta et quinta Congregatione generali.

1. A meridie eiusdem diei seu feriae quartae *hora quarta* perficitur *tertia Congregatio generalis* ritu et modo, quo superius dictum est de secunda Congregatione.

Habebitur *secunda meditatio qua consideratio*. Caetera evolvuntur uti in altera Congregatione generali.

Eodem iam vespere et mane proximae diei, præbetur Synoditis occasio sacramentaliter confitendi.

2. Die sequenti peragetur *quarta Congregatio generalis*, ad quam Clerus synodalis eadem hora et eodem modo conveniet, prouti describitur in secunda Sessione publica.

Quum in ecclesiam more solito venerit celsissimus Praesul, recitabitur *Tertia*, qua persoluta, celebratur per Canonicum Capituli cathedralis

*Missa de die festo*, cui Episcopus assistet, *pluviali coloris albi* indutus. Synoditae recitabunt sacramissimum Rosarium gloriosum.

Finita Missa, datur initium *Congregationi* precibus, ad hoc praescriptis. Deinceps habebitur *meditatio tertia*. Qua audit a pertractabitur materia synodalis, prout in Domino illustrissimus Nauclerus iudicaverit et decreverit.

Quibus actis, fiunt preces *pro gratiarum actione*. Datis Deo gratiis, comitabitur Episcopum Capitulum cathedralē usque ad seras ecclesiae et Synoditae discedent.

Dein est tempus liberum *pro facienda confessione sacramentali*.

3. Hora quarta instituetur *quinta et ultima Congregatio generalis* modo superius descripto.

In hac *Congregatione* pertractabitur omnis materia synodalis, quae adhuc superfuerit.



### De tertia et ultima Sessione publica.

Die sequenti celebrabitur *Sessio publica finalis*, ad quam Clerus synodalis hora *sexta* — vel vero alia iuxta circumstantias temporis et adjuncta personarum adhuc statuenda — et eodem modo, ut superius notatum est, congregabitur.

Absoluta, quum Synodi Praesul advenerit, *Tertia*, cantatur per Ipsum *Missa de sanctissima Trinitate* (addita sub distincta conclusione *Collecta pro gratiarum actione*). *Incensatur* Clerus. Post Pontificis

communionem Sacerdotes, assumptis stolis, accedunt *ad sacram communionem*, qua accepta sumunt *ablutionem*.

Finita Missa pontificali, inchoatur *Sessio postrema* precibus, quae in Pontificali romano *pro tertia die Synodi* ponuntur.<sup>1</sup>

Deintus leguntur et publicantur, quae Ordinarius decreverit. Post haec vocabuntur nominatim omnes, qui huic Synodo dioecesanae interesse debuerint, et respondebit ad suum quisque nomen: *Adsum*. Absentes notentur aliquo signo v. gr. lineola. Contra sine iusta causa absentes animadverti potest censuris, etiam excommunicatione aliisve poenis, atque etiam mulctis pecuniariis.

Sequitur *finalis allocutio* celsissimi ac reverendissimi Principis-Episcopi, in qua Clerum potissimum de libenti ac simplici, de hilari ac virili deque humili, integra et constante observantia *Constitutionum syndicalium* monebit.

Postea ad instantiam Promotoris legitur *decretum cum de Synodo finienda tum de proxime habenda*. Episcopus, unicus in Synodo iudex, *subscribit* statutis.

Tandem ad altare maius exponetur sanctissimum Sacramentum. Quo incensato, intonat Antistes hymnum: *Te Deum laudamus*, quem chorus et Clerus alta voce prosequuntur. Hymno dicto et relativae orationi subnectitur oratio finalis: *Nulla est, Domine.*<sup>2</sup>

Immediate renovabitur *dedicatio et consecratio* dioecesis sacratissimo Cordi Iesu<sup>3</sup>, uti id factum est in

---

<sup>1</sup> Pag. 52. — <sup>2</sup> Pag. 56. — <sup>3</sup> Pag. 56.

Synodis annis 1896, 1900, 1903 et 1906 coactis. Accedit *Synoditarum commendatio et oblatio* purissimo Cordi beatae Mariae Virginis, prouti in Synodo anni 1906 cum magna cordium laetitia peractum est.<sup>1</sup>

Quo facto cantatur ter *Sanctus* et datur *Benedictio sacramentalis*.

Reposito Venerabili, *aperiuntur portae ecclesiae synodalnis*. Deinde *publicantur Indulgentiae concessae*, porro praegreditur *decretum de Synodo dimittenda*.

Post haec persolvuntur *Orationes*<sup>2</sup> et impertitur Clero et praesentibus laicis *benedictio sollemnis*.

Denique Archidiaconus, stans iuxta Pontificem, dicet voce elevata: *Recedamus in pace*, et acclamabunt omnes: *In nomine Christi!*

Omnibus rite peractis, excellentissimus Praesul deponit sacras vestes et ordinato recessu Clerum in foribus ecclesiae in nomine Domini dimittit atque in Aulam suam se confert.



### Preces in Synodo persolvendae.

#### a) **Invocatio Spiritus Sancti ad initiationem et apertione Synodi in prima Congregatione generali.**

Reverendissimus Officiator intonat *Sequentiam: Veni, Sancte Spiritus*, quam chorus et Clerus cantando prosequuntur:

<sup>1</sup> Pag. 58. — <sup>2</sup> Pag. 60.

Et emitte coelitus \* Lucis tuae radium.

Veni, Pater pauperum, \* Veni, dator munerum, \*  
Veni, lumen cordium.

Consolator optime, \* Dulcis hospes animae, \* Dulce  
refrigerium.

In labore requies, \* In aestu temperies, \* In fletu  
solutium.

O lux beatissima, \* Reple cordis intima \* Tuorum  
fidelium.

Sine tuo numine \* Nihil est in homine, \* Nihil  
est innoxium.

Lava, quod est sordidum, \* Riga, quod est aridum, \* Sana, quod est saucium.

Flecte, quod est rigidum, \* Fove, quod est frigidum, \* Rege, quod est devium.

Da tuis fidelibus \* In te confidentibus \* Sacrum  
septenarium.

Da virtutis meritum, \* Da salutis exitum, \* Da  
perenne gaudium. Amen.

*V.* Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

*R.* Et renovabis faciem terrae.

*Oremus.* Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus  
illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta  
sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per  
Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui  
tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti  
Deus per omnia saecula saeculorum. *R.* Amen.

**b) In Congregationibus quatuor generalibus et  
cunctis particularibus.**

**1. Ante actionem synodalem.**

*Antiphona: Veni, Sancte Spiritus,* quam Synoditae prosequuntur: Reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende, qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti.

¶. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terrae.

¶. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.* Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

**2. Post actionem synodalem.**

*Antiphona:* Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.

¶. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

*Oremus.* Deus, apud quem pro perceptis donis gratitudo secura est alterius beneficii impetratio, da nobis dignas tibi pro collatis beneficiis gratias reprendere, ut misericordiam tuam ad impertienda nobis nova bona provocemus. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

**Sequitur oratio, ab omnibus recitanda:**

Sub tuum praesidium confugimus — sancta Dei genitrix — nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris — sed a periculis cunctis — libera nos semper — Virgo gloriosa et benedicta — domina nostra — mediatrix nostra — advocata nostra — tuo Filio nos reconcilia — tuo Filio nos commenda — tuo Filio nos repreaesenta.

N. Vultum tuum deprecabuntur.

R. Omnes divites plebis.

*Oremus.* Defende, quaesumus, Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, nostram ab omni adversitate familiam et toto corde tibi prostratam ab hostium propitiis tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

N. Divinum auxilium maneat semper nobiscum!

R. Amen.

**c) In Sessionibus publicis.<sup>1</sup>**

**1. In Sessione primae diei.**

*Pontifex ante faldistorium sibi paratum genuflexus, deposita mitra, incipit schola prosequente Antiphonam:*

Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua, et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine.

---

<sup>1</sup> Cfr. Pontific. rom. Part. tertia. *Ordo ad Synodum.*

*Incepit Psalmo, sedet Pontifex, accepta mitra,  
et sic manet, quousque finiatur Psalmus et Antiphona  
repetatur.*

**Psalmus 68.** Salvum me fac Deus: \* quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi: \* et non est substantia.

Veni in altitudinem maris, \* et tempestas demersit me.

Laboravi clamans, raucae factae sunt fauces meae:  
\* defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, \* qui oderunt me gratis.

Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: \* quae non rapui, tunc exsolvebam.

Deus tu scis insipientiam meam: \* et delicta mea a te non sunt abscondita.

Non erubescant in me, qui exspectant te, Domine,  
\* Domine virtutum.

Non confundantur super me: \* qui quaerunt te,  
Deus Israel.

Quoniam propter te sustinui opprobrium: \* operuit confusio faciem meam.

Extranus factus sum fratribus meis, \* et peregrinus filiis matris meae.

Quoniam zelus domus tuae comedit me: \* et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Et operui in ieunio animam meam; \* et factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum cilicium: \* et factus sum illis in parabolam.

Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta:  
 \* et in me psallebant, qui bibebant vinum.

Ego vero orationem meam ad te Domine: \* tem-  
 pus beneplaciti Deus.

In multitudine misericordiae tuae exaudi me, \*  
 in veritate salutis tuae.

Eripe me de luto, ut non infigar, \* libera me ab  
 eis, qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquae, neque absor-  
 beat me profundum: \* neque urgeat super me puteus  
 os suum.

Exaudi me Domine, quoniam benigna est miseri-  
 cordia tua: \* et secundum multitudinem miserationum  
 tuarum respice in me.

Et ne avertas faciem tuam a puerō tuo: \* quo-  
 niam tribulor, velociter exaudi me.

Intende animae meae et libera eam: \* propter  
 inimicos meos eripe me.

Tu scis improperium meum et confusionem meam,  
 \* et reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me: \*  
 improperium exspectavit cor meum et miseriam.

Et sustinui, qui simul contrastaretur, et non fuit:  
 \* et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel: \* et in siti mea  
 potaverunt me aceto.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum \* et  
 in retributiones et in scandalum.

Obscurentur oculi eorum, ne videant: \* et dorsum  
 eorum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam: \* et furor irae tuae comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta: \* et in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: \* et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: \* et non intrent in iustitiam tuam.

Deleantur de libro viventium: \* et cum iustis non scribantur.

Ego sum pauper et dolens: \* salus tua Deus suscepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico: \* et magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo super vitulum novellum, \* cornua producentem et ungulas.

Videant pauperes et laetentur: \* quaerite Deum, et vivet anima vestra.

Quoniam exaudiuit pauperes Dominus: \* et vincitos suos non despexit.

Laudent illum coeli et terra, \* mare et omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus salvam faciet Sion: \* et aedificantur civitates Iuda.

Et inhabitabunt ibi \* et hereditate acquirent eam.

Et semen servorum eius possidebit eam: \* et qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

*Finito Psalmo et repetita Antiphona, Pontifex surgit, et, deposita mitra, versus ad altare dicit:*

*Adsumus*, Domine Sancte Spiritus, adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati: veni ad nos, adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris: doce nos, quid agamus; quo gradiamur, ostende; quid efficiamus, operare. Esto solus et suggestor et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre et eius Filio nomen possides gloriosum: non nos patiaris perturbatores esse iustitiae, qui summe diligis aequitatem; ut sinistrum nos non ignorantiae trahat; non favor inflectat; non acceptio muneris vel personae corrumpat: sed iunge nos tibi efficaciter solius tuae gratiae dono, ut simus in te unum, et in nullo deviemus a vero; quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur praemia sempiterna.

*Respondetur ab omnibus*: Amen.

*Oremus*. Omnipotens sempiterne Deus, qui misericordia tua nos incolumes in hoc loco specialiter aggregasti; mentes nostras, quaesumus, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem; cunctosque in tua fide et charitate corroboret; ut excitati a temporali Synodo, proficiamus ad aeternae felicitatis augmentum. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

*Finita oratione, Pontifex, accepta mitra, procumbit supra faldistorium praedictum, aliis omnibus genuflectentibus, et dicuntur Litaniae:*

Kyrie, eleison. Christe, eleison.

Kyrie, eleison. Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Pater de coelis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria,

Sancta Dei genitrix,

Sancta Virgo virginum,

Sancte Michael,

Sancte Gabriel,

Sancte Raphael,

Omnis sancti Angeli et Archangeli, orate pro nobis.

Omnis sancti beatorum spirituum ordines, orate pro nobis.

Sancte Ioannes Baptista, ora pro nobis.

Sancte Ioseph, ora pro nobis.

Omnis sancti Patriarchae et Prophetae, orate pro nobis

Sancte Petre,

Sancte Paule,

Sancte Andrea,

Sancte Iacobus,

Sancte Ioannes,

Sancte Thoma,

Sancte Iacobus,

Sancte Philippe,

Sancte Bartholomaei,

Sancte Matthaei,

Sancte Simon,

Sancte Thaddaei,

ora pro nobis.

ora pro nobis.

Sancte Mathia,  
Sancte Barnaba,  
Sancte Luca,  
Sancte Marce, } ora pro nobis.  
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, orate pro nobis.  
Omnes sancti Discipuli Domini, } orate pro nobis.  
Omnes sancti Innocentes, } orate pro nobis.  
Sancte Stephane,  
Sancte Laurenti, } ora pro nobis.  
Sancte Vincenti,  
Sancti Fabiane et Sebastiane,  
Sancti Ioannes et Paule,  
Sancti Cosma et Damiane, } orate pro nobis.  
Sancti Gervasi et Protasi,  
Omnes sancti Martyres,  
Sancte Silvester,  
Sancte Gregori,  
Sancte Ambrosi,  
Sancte Augustine, } ora pro nobis.  
Sancte Hieronyme,  
Sancte Martine,  
Sancte Nicolae,  
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate pro nobis.  
Omnes sancti Doctores, orate pro nobis.  
Sancte Antoni,  
Sancte Benedicte, } ora pro nobis.  
Sancte Bernarde,  
Sancte Dominice,  
Sancte Francisce,  
Omnes sancti Sacerdotes et Levitae, orate pro nobis.  
Omnes sancti Monachi et Eremitae, orate pro nobis.



Sancta Maria Magdalena,  
 Sancta Agatha,  
 Sancta Lucia,  
 Sancta Agnes,  
 Sancta Caecilia,  
 Sancta Catharina,  
 Sancta Anastasia,  
 Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate pro nobis.  
 Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro nobis.  
 Propitius esto, parce nobis Domine.  
 Propitius esto, exaudi nos Domine.  
 Ab omni malo,  
 Ab omni peccato,  
 Ab ira tua,  
 A subitanea et improvisa morte,  
 Ab insidiis diaboli,  
 Ab ira et odio et omni mala voluntate,  
 A spiritu fornicationis,  
 A fulgure et tempestate,  
 A flagello terraemotus,  
 A peste, fame et bello,  
 A morte perpetua,  
 Per mysterium sanctae Incarnationis tuae,  
 Per Adventum tuum,  
 Per Nativitatem tuam,  
 Per Baptismum et sanctum Ieiunium tuum,  
 Per Crucem et Passionem tuam,  
 Per Mortem et Sepulturam tuam,  
 Per sanctam Resurrectionem tuam,  
 Per admirabilem Ascensionem tuam,  
 Per Adventum Spiritus Sancti Paracliti,

ora pra nobis.

libera nos Domine.

In die iudicii, libera nos Domine.

Peccatores,

Ut nobis parcas,

Ut nobis indulgeas,

Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,

Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare  
digneris,

Ut dominum Apostolicum et omnes ecclesiasticos  
ordines in sancta religione conservare digneris,

Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris,

Ut imperatorem nostrum custodire digneris,

Ut Regibus et Principibus christianis pacem et  
veram concordiam donare digneris,

Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem  
largiri digneris,

Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare  
et conservare digneris,

Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas,

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona  
retribuas,

Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et be-  
nefactorum nostrorum ab aeterna damnatione  
eripias,

Ut fructus terrae dare et conservare digneris,

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam  
donare digneris,

*Pontifex surgit, et baculum pastoralem in  
sinistra tenens, stans versus ad Synodum, dicit:*

Ut hanc praesentem Synodum visitare, disponere  
et bene † dicere digneris.

R. Te rogamus, audi nos.

te rogamus, audi nos.

*Producens signum crucis pariter super omnes, quo facto, iterum occumbit, Litanias perficiendis.*  
Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.

Fili Dei, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

*Quibus dictis, surgunt omnes, et Pontifex deposita mitra dicit stans versus ad altare: Oremus.*

*Et ministri:* Flectamus genua. R: Levate.

Da, quae sumus, Ecclesiae tuae, misericors Deus, ut Spiritu Sancto congregata, secura tibi devotione servire mereatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. R: Amen.

*Deinde Pontifex, accepta mitra, ascendit ad sedem sibi paratam in plano altaris, ita ut in ea sedens dorsum suum vertat ad altare. Et imponit incensum in thuribulum, et benedicit more solito. Diaconus dalmatica indutus, praecedentibus thuriferario et duobus Ceroferariis et Subdiacono tunicella induito, paramentis rubeis, benedictione accepta a Pontifice, cantat in loco convenienti:*

† Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore convocatis Iesus duodecim Apostolis dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent. Et misit illos, praedicare regnum Dei et sanare infirmos. Et ait ad illos:

Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exentes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos. Egressi autem circuibant per castella evangelizantes et curantes ubique.

*Quo finito, liber Evangeliorum apertus per Subdiaconum portatur Pontifici per eum oscularundus, qui et deinde incensatur. Quo facto Pontifex ipse ante sedem suam praedictam, deposita mitra, versus ad altare, atque alii omnes in locis suis genuflectunt. Tum Pontifex sic genuflexus incipit cantando, schola prosequente, hymnum:*

*Veni, creator Spiritus, mentes tuorum visita : \**  
imple superna gratia, quae tu creasti pectora.

*Finito primo versu, Pontifex surgit, stans versus ad altare, sine mitra, usque ad finem hymni: similiter omnes alii cum Pontifice surgunt.*

Qui diceris Paraclitus, altissimi donum Dei : \*  
fons vivus, ignis, charitas et spiritalis unctionis.

Tu septiformis munere, digitus Paternae dexteræ : \*  
Tu rite promissum Patris, sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus,  
infirma nostri corporis virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius, pacemque dones protinus ; \* ductore sic te prævio vitemus omne noxiū.

Per te sciamus da Patrem, noscamus atque Filium : \*  
teque utriusque Spiritum credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria et Filio, qui a mortuis \* surrexit, ac Paraclito, in saeculorum saecula. Amen.

2. In Sessione secundae diei:

*Pontifex, paratus ut supra, procedit coram altari, Diacono et Subdiacono, paratis ut supra, ipsum associantibus, et ibi in faldistorio ante medium altaris iuxta inferiorem gradum sibi parato genuflexus, deposita mitra, inchoat, schola prosequente, Antiphonam:*

Propitius esto peccatis nostris, Domine, ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?

*Finita Antiphona et incepto Psalmo, sedet Pontifex, reassumpta mitra, usque ad finem Psalmi.*

**Psalmus 78.** Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: \* posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus coeli: \* carnes sanctorum tuorum bestiis terrae.

Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Ierusalem: \* et non erat, qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: \* subsanatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Usquequo Domine irasceris in finem: \* accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt; \* et in regna, quae nomen tuum non invocaverunt.

Quia comedenterunt Iacob: \* et locum eius desolaverunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiae tuae: \* quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuva nos Deus salutaris noster et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos: \* et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum?  
\* et innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est:  
\* introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui \* posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum:  
\* improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi, Domine.

Nos autem populus tuus et oves pascuae tuae: \* confitebimur tibi in saeculum.

In generationem et generationem: \* annuntiabimus laudem tuam.

Gloria Patri et Filio etc. Sicut erat in principio etc.

*Deinde finito Psalmo et repetita Antiphona, Pontifex deposita mitra surgit, et stans versus ad altare dicit:*

*Oremus.* Nostrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, quaesumus, ut bonum, quod in nobis a te requiritur, exequamur: scilicet, ut prompta tecum sollicitudine gradientes, discretionis arduae subtile iudicium faciamus: ac misericordiam diligentes,clareamus studiis tibi placitae actionis. Per Christum Dominum nostrum.  
R. Amen.

*Oremus.* Mentibus nostris, quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum benignus infunde, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo dissentiat voluntas

nostra, sed semper rationabilia meditantes, quae tibi sunt placita, et dictis exequamur et factis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

Oremus.

*Et ministri dicunt:* Flectamus genua.

R. Levate.

Deus, qui nos iustitiam loqui, et quae recta sunt, praecepis iudicare: tribue nobis, ut neque iniquitas in ore, nec pravitas inveniatur in mente: ut puro cordi purior sermo consentiat, ostendatur in opere iustitia, neque appareat dolus in lingua, sed ex corde veritas proferatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

*Post haec Pontifex, accepta mitra, ascendit ad planum altaris et sedet in sede seu faldistorio ibidem sibi parato.*

*Tum accedit Diaconus cum thuriferario, et Pontifex imponit incensum; deinde benedicit Diacono, qui procedens ad locum consuetum signat, incensat et cantat Evangelium, ut heri, Pontifice ante sedem praedictam sine mitra, verso ad Diaconum, stante.*

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos; et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci.

Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare saccum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: et si ibi fuerit filius pacis, requiescat super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes, quae apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et suscepient vos, manducate, quae apponuntur vobis: et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

*Quo finito, et per Pontificem libro osculato, et ipso incensato, Pontifex sine mitra ante sedem praedictam versus ad altare, ac aliis omnibus in suis locis genuflexis, incipit schola prosequente hymnum: Veni, Creator Spiritus. Et dicitur totus ut supra pag. 48, quem schola prosequitur, ut in primo die. Finito primo versu, Pontifex surgit, stans versus ad altare, detecto capite usque ad finem hymni. Simili modo faciunt omnes alii.*

3. In Sessione tertiae diei:

a) Ante Sessionem.

*Pontifex paratur, ut heri, assistantibus sibi Diacono et Subdiacono paratis, genuflexus in faldistorio, iuxta inferiorem gradum ante medium altaris sibi parato, deposita mitra, incipit, schola prosequente, Antiphonam:*

Exaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia tua: et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine,

**Psalmus:** Salvum me fac Deus: \* quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam. *Et dicitur totus, prout habetur supra in primo die pag. 39.* Deinde repetitur *Antiphona*. Incepto *Psalmo*, Pontifex sedet et accipit mitram sic manens, quoque *Psalmus finiatur et Antiphona repetatur; qua repetita, deposita mitra, surgit, et stans versus ad altare, dicit*:

**Oremus.** Ad te, Domine, interni clamoris vocibus proclamantes, unanimiter postulamus, ut respectu tuae gratiae solidati, praecones veritatis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

**Oremus.** Omnipotens, sempiterne Deus, qui sacro verbi tui oraculo promisisti: Ubi duo vel tres in nomine tuo congregati essent, te medium fore; adesto coetui nostro propitius et cor nostrum illumina misericors, ut a bono misericordiae tuae nullatenus aberremus, sed rectum iustitiae tuae tramitem in omnibus teneamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

Oremus.

*Et ministri dicunt:* Flectamus genua.

R. Levate.

Deus, qui populis tuis et indulgentia consulis et amore dominaris; da Spiritum sapientiae tuae, quibus dedisti regimen disciplinae; ut de profectu sanctorum ovium fiant gaudia aeterna pastorum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

*Post haec Pontifex, accepta mitra, ascendit ad planum altaris, sedens in sede seu faldistorio ibidem sibi parato. Tum accedit Diaconus cum thuriferario, et Pontifex imponit incensum; deinde benedicit Diacono, qui procedens ad locum consuetum signat, incensat et cantat Evangelium, ut heri, Pontifice ante sedem praedictam sine mitra, verso ad Diaconum, stante.*

¶ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos: dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. Iterum dico vobis: quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum

dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi usque septies: sed usque septuagies septies.

*Quo finito, et per Pontificem libro osculato,  
et ipso incensato, Pontifex sine mitra ante sedem  
praedictam versus ad altare, atque aliis omnibus  
in locis suis genuflexis, incipit schola prosequente  
hymnum: Veni, Creator Spiritus. Et dicitur  
totus, ut supra pag. 48. — Finito primo versu, Pon-  
tifex surgens, stat versus ad altare, detecto ca-  
pite usque ad finem hymni. Simili modo faciunt  
omnes alii. Expleto hymno omnes sedent. Pon-  
tifex sedens cum mitra Synodum his verbis allo-  
quitur, si velit:*

Venerabiles et dilectissimi fratres! Convenit, ut ea, quae ecclesiasticis officiis et sacerdotalibus gradibus, vel etiam canonicis sanctionibus propter diversas occupationes, aut (quod negare non possumus) propter nostram aliorumque desidiam, non tam plene, ut oportet, executa sunt: omnium nostrum unanimi consensu et voluntate requirantur, et humiliter coram charitate vestra recitentur: ut quae digna sunt emendatione, ad meliorem statum, auxiliante Domino, perducantur. Et cui fortasse aliquid, quod digestum est, displicet, charitati vestrae cum benignitate et modestia intimare non differat; quatenus totum, quod synodali conventione nostra statutum fuerit vel renovatum, absque omni contrarietate, concordia sanctae pacis ab omnibus aeque custodiatur ac teneatur, ad augmentum aeternae beatitudinis omnium nostrum.

b) Post Sessionem finalem.

*Oremus.* Nulla est, Domine, humanae conscientiae virtus, quae inoffense possit tuae voluntatis iudicia experiri, et ideo, quia imperfectum nostrum vident oculi tui, perfectioni deputa misericors Deus, quod perfecto aequitatis fine concludere peroptamus; te in nostris principiis occursorem poposcimus, te in hoc fine iudiciorum nostrorum indultorem nostris excessibus sperramus, scilicet ut ignorantiae parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris: et quia conscientia remordente, tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut praeceps forsitan voluntas impulerit, iustitiam declinare; hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensionis in hac Synodi celebritate contraximus, te miserante, indulgentiam sentiamus: ut in eo, quod soluturi sumus aggregatam Syndicum, a cunctis primum absolvamus nostrorum nexibus delictorum; qualiter transgressores venia et confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.



1. Ad sacratissimum Cor Iesu formula consecrationis recitanda.

Iesu dulcissime, redemptor humani generis, respice nos ad altare tuum humillime provolutos. Tui sumus, tui esse volumus; quo autem tibi coniuncti firmius esse possimus, en, hodie sacratissimo Cordi tuo se quisque nostrum sponte dedicat.

Te quidem multi novere numquam. Te, spretis mandatis tuis, multi repudiarunt. Miserere utrorumque, benignissime Iesu, atque ad sanctum Cor tuum rape universos. Rex esto, Domine, nec fidelium tantum, qui nullo tempore discessere a te, sed etiam prodigorum filiorum, qui te reliquerunt: fac hos, ut domum paternam cito repeatant, ne miseria et fame pereant. Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet, aut discordia separatos, eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi fiat unum ovile et unus pastor.

Rex esto denique eorum omnium, qui in vetere gentium superstitione versantur, eosque e tenebris vindicare ne renuas in Dei lumen et regnum. Largire, Domine, Ecclesiae tuae securam cum incolumentate libertatem; largire cunctis gentibus tranquillitatem ordinis: perfice, ut ab utroque terrae vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus, ipsi gloria et honor in saecula! Amen.<sup>1</sup>

V. Iesu, mitis et humilis Corde.

R. Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui, et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum tibi persolvit, eisque misericordiam tuam potentibus Tu veniam concede placatus, in nomine eiusdem Filii tui Iesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

<sup>1</sup> Ex encyclica *Annum sacrum*, data die 25. Maii 1899, de hominibus sacratissimo Cordi Iesu devovendis.

2. Ad purissimum Cor B. M. V. formula de-  
dicationis recitanda.

O Cor Mariae, matris Dei et matris nostrae; Cor amabilissimum, in quo sibi adoranda Trinitas bene complacuit; Cor dignum omni veneratione et amore angelorum et hominum; Cor simillimum sacrosancto Iesu Cordi, cuius es imago perfectissima; Cor bonitate plenum et tantopere compatiens nostris miseriis: dignare resolvere glaciem cordium nostrorum; fac, ut se prorsus tradant Cordi divini Salvatoris.

Infunde cordibus nostris amorem tuarum virtutum et in eis flamمام indesinentis tuae charitatis accende. Sanctam Ecclesiam tuo amore amplectere; tuere illam. Sis illi semper dulce refugium et turris inexpugnabilis contra omnes hostium incursus. Per te accessum habeamus ad Iesum; per te gratias obtineamus necessarias ad aeternam salutem. Sis nobis in necessitatibus auxilium, in afflictionibus solatium, in temptationibus robur, in persecutionibus refugium, in omnibus periculis praesidium.

Sed praesertim in hora mortis, in ultimo vitae agone, quum infernae potestates in nos irruent, ut animam rapiant; in illo terribili momento, in illa tremenda hora, a qua pendet nostra aeternitas: tunc, o tunc, Virgo clementissima, fac nos sentire teneritudinem materni Cordis tui, et magnitudinem potentiae tuae in Cor Iesu, aperiendo in ipso misericordiae fonte tutum refugium, ut pervenire possimus in coelum illumque tecum laudare mereamur per omnia saecula saeculorum ! R. Amen.

¶ Cor Mariae doloris gladio transfixum.

R<sup>g</sup> Amore Iesu, quo ardes, accende cor nostrum.

Oremus.

Concede, quae sumus, omnipotens Deus, ut, qui in sacro beatissimae Virginis Mariae corde gloriantes summae eius in te charitatis et maternae in nos dilectionis commemorationem recolimus, eiusdem amantissimae matris et charitatem imitemur et patrocinia sentiamus. Per Christum Dominum nostrum. R<sup>g</sup> Amen.



Orationes sub finem Synodi persolvendae.

*Ex instructione Caeremonialis romani acclamations in Synodis dioecesanis parcus sunt adhibenda. Propterea in Synodo prima anno 1883 peracta et secunda anno 1896 coacta: sic dicta suffragia in sessione Synodi finali persoluta sunt. Acclamations solum in tertia Synodo, anno iubilaeo 1900 celebrata et Christo Deo-homini viventi, regnanti et imperanti sacra, decantatae sunt. In quarta Synodo Lavantina anno 1903 coadunata Orationes et in quinta anno 1906 facta persoluta sunt Vota cum Oratione. In sexta praesenti recitantur Orationes.*

*Decreto de Synodo dimittenda präelecto, Secretarius Synodi protinus procedit ad altare maius et conversus ad Synodales, Episcopo stante in throno, alta et sonora voce intonat singulas Orationes et adstantes simili concentu eas continuant.*

**Orationes sub finem Synodi persolvendae.**

*Oremus* intimo dolore, fratres charissimi, toto corde conversi ad Dominum et corporibus prostrati, invocatis sanctis patronis dioecesis nostrae, ut Dominus peccatorum nostrorum veniam nobis concedat, negligentiis indulgeat, ignorantiae parcat, errata omnia condonet, quae in clericali statu, in officiis nostris multipli errori commisimus.

*Perseveremus* unanimes in oratione et *petamus* a Patre misericordiarum et Deo totius consolationis, quem credimus esse in medio huius sacri coetus, ut posthac digne omnes ambulemus vocatione, qua vocati sumus; ut sacramenta rite ministremus, verbum Dei cum fructu praedicemus, animas sollicite curemus, religiose et caste vivamus, ut in patientia possideamus animas nostras.

*Oremus*, fratres dilectissimi, pro Sanctissimo Domino nostro Papa Pio X., Christi Vicario, ut sanctam Ecclesiam sancte gubernet, adiutus a sacro Cardinalium collegio! Omnipotens et misericors Deus sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam romanam conservet, defendat, augeat, exaltet ad honorem et gloriam suam!

*Oremus* intimo charitatis affectu pro vigilantisimo Metropolita Salisburgensi et pro cunctis provinciae Episcopis, ut divina sapientia assistrice munera prae-sulatus sui pie obeant in Dei gloriam animarumque bonum!

*Oremus* pro religiosissimo Episcopo nostro *Michele*, ut divino Spiritu illustratus et roboratus, una cum devoto ecclesiae cathedralis Capitulo, omni Clero et cum universo grege suo consequatur vitam aeternam!

Dominus Deus det viris saecularibus spiritum obedientiae et regularibus una cum monialibus spiritum observantiae ad suam salutem et in aedificationem aliorum!

*Oremus* unanimes Christum, Dominum messis, ut operarios mittat in messem suam ac tribuat omnibus huius vineae Lavantine operariis Spiritus Sancti ignem ac lumen demumque mercedem!

*Oremus* toto cordis affectu, fratres charissimi, pro gloriozissimo Imperatore nostro *Francisco Josepho I.*, semper Augusto, et pro rectoribus temporibus Imperii nostri, ut cum pace et salute communis munus suum obeant, recta semper sentiant et exequantur, Ecclesiae defensores se praestent et vitam sempiternam mereantur!

*Oremus* unanimes pro cuncto populo dioecesano, ut Deus conservet sanctam fidem catholicam, peccata eliminet, augeat devotionem, concedat abundantiam fructuum terrae ad eius felicitatem!

*Oremus* Patrem et Filium cum Sancto Spiritu, ut, sicut in nomine Sanctissimae Trinitatis congregati novimus, quam sit iucundum habitare fratres in unum, ita in vinculo pacis et amoris iugiter permanentes, aeterna in coelis societate perfruamur! Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Cunctis, qui huic Synodo operam contulerunt quique eius *decisiones* fideliter servabunt, et omnibus praesentibus et absentibus: sit pax et gaudium a Deo Patre per Iesum Christum in Spiritu Sancto! R. Amen.

V. Benedicamus Domino!

R. Deo gratias! Semper et ubique Deo gratias!

*Orationibus persolutis et paelecto decreto de  
Synodo dimittenda, datur ab illustrissimo Domino  
Episcopo benedictio sollemnis. Qua impertita Ar-  
chidiacaonus, stans iuxta Pontificem, dicet alta  
voce: **Recedamus in pace!** Et respondebunt  
omnes: **In nomine Christi!***

*Tunc omnes pariter surgentes, Pontificem  
ad ostium ecclesiae synodalis reducunt, inde re-  
verendissimus Praesul reddit in suum Palatium.*

*Sic omnia negotia Synodi expediuntur, et con-  
ventio synodalis concluditur in nomine Domini.*



# INDEX.

**Regula et norma agendorum in sexta Synodo dioecesana  
Lavantina.**

	Pag.
Praenotiones . . . . .	3
De prima Congregatione generali . . . . .	5
Hymni:	
In adorationem sanctissimae Trinitatis . . . . .	6
In gloriam beatae Mariae Virginis . . . . .	7
In honorem sanctorum Angelorum . . . . .	8
In laudes Omnisium Sanctorum . . . . .	9
Psalmi:	
PSalmus 22. Dominus regit me . . . . .	10
PSalmus 26. Dominus illuminatio mea . . . . .	11
PSalmus 66. Deus misereatur . . . . .	13
PSalmus 94. Venite exultemus . . . . .	13
PSalmus 120. Levavi oculos meos . . . . .	14
PSalmus 132. Ecce quam bonum . . . . .	15
De prima Sessione sollempni . . . . .	19
Forma professionis fidei Tridentino-Vaticana . . . . .	21
Formula iuris iurandi in Motu proprio „Sacerorum Antistitum“ praescripta . . . . .	23
De Congregationibus particularibus . . . . .	28
De secunda Congregatione generali . . . . .	29
De altera Sessione sollempni . . . . .	31
De tertia, quarta et quinta Congregatione generali . . . . .	32
De tertia et ultima Sessione publica . . . . .	33
Preces in Synodo persolvendae:	
a) Invocatio Spiritus Sancti ad initiationem et apertio nem Synodi in prima Congregatione generali . . . . .	35

<i>b)</i> In Congregationibus quatuor generalibus et particu-	
laribus:	
1. Ante actionem synodalem . . . . .	37
2. Post actionem synodalem . . . . .	37
<i>c)</i> In Sessionibus publicis:	
1. In Sessione primae diei . . . . .	38
2. In Sessione secundae diei . . . . .	49
3. In Sessione tertiae diei:	
<i>a)</i> Ante Sessionem . . . . .	52
<i>b)</i> Post Sessionem finalem . . . . .	56
1. Ad sacratissimum Cor Iesu formula consecrationis recitanda	56
2. Ad purissimum Cor B. M. V. formula dedicationis recitanda	58
Orationes sub finem Synodi persolvendae . . . . .	59
Index . . . . .	63



